

SACROSANCTUM OECUMENICUM
CONCILIUM VATICANUM SECUNDUM

SCHEMATA
CONSTITUTIONUM ET DECRETORUM

de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus

SERIES SECUNDA

De Ecclesia et de B. Maria Virgine

(SUB SECRETO)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXII

3.

Ss.mus Dominus Noster IOANNES Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut haec Constitutionum et Decretorum schemata, in Concilio Oecumenico Vaticano secundo discutienda, ad eiusdem Concilii Patres transmittantur.

Ex Aedibus Vaticanis, die x mensis Novembris, anno MCMLXII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

NOTAE, quae singulis schematum capitibus adiciuntur, schematum partem non habent: sed a Commissionibus Praeparatoriis ideo exaratae sunt, ut Patribus schemata pervestigantibus extent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum characteribus cursivis inter uncas [] posita, in redactione definitiva tollentur.

SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE

DE BEATA MARIA VIRGINE
MATRE DEI ET MATRE HOMINUM

DE BEATA MARIA VIRGINE
MATRE DEI ET MATRE HOMINUM *

1. [*De arcta necessitudine inter Christum et Mariam iuxta Dei beneplacitum*]. Immensae bonitatis Creator omnium sapientissimus Deus, qui omnimoda fruebatur libertate in determinanda via ac ratione qua generis humani liberatio a se perageretur, ab aeterno uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione beatissimam Virginem praestituit,¹ ex qua Verbum caro factum, in plenitudine temporis (cf. Gal. 4, 4) nasceretur. Cum autem Sacrae Litterae, sive diserte sive implicite, Mariam cum Iesu arctissimo et indissolubili vinculo coniunctam inde a praeannuntiatione prophetica (cf. Gen. 3, 15; Is. 7, 14; Mt. 1, 23) ac virginali conceptione (cf. Mt. 1, 18-25 et Lc. 1, 26-38), veluti ante oculos proponant, plane congruit ut Ecclesia quae a Spiritu Sancto assistitur et ad ea plene percipienda clareque intelligenda, quae in sacris Fontibus obscure et veluti implicite latent, secure ducitur (cf. Io. 14, 26) atque ab errore praeservatur (cf. Mt. 16, 18; 28, 18-20; Io. 14, 16; 15, 20) —, dum divini Redemptoris mysteria illustrat, mysterium quoque Dei Matris clariorem in lucem proferat.

Haec autem alma Prens, quae « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur »,² non modo « supereminens »³ prorsusque singulare membrum Ecclesiae est, verum etiam eiusdem exemplar,⁴ immo et Mater⁵ dicitur.

Quapropter S. Synodus, postquam de Corpore Christi Mystico locuta est, superioribus documentis inhaerens Magisterii vivi Ecclesiae, unici authentici interpretis depositi revelati, opportunum censet summatim breviterque illustrare, tum locum quem Dei hominumque Mater in Ecclesia occupat, tum privilegia quibus Filius Matrem suam exornavit, tum nostra erga tam sublimem creaturam officia, ut scientia ac pietas marialis plane recteque florescant et praecudicatae opiniones hac in re arceantur.

2. [*De munere beatissimae Virginis Mariae in oeconomia nostrae salutis*]. Cum igitur aeterni Patris Verbum hominis naturam ex muliere sumere voluerit ut, quemadmodum per feminam mors, ita et vita nobis per feminam oriretur, et sic liberatio

ope utriusque sexus haberetur,⁶ non id ante perfecit quam designatae matris, ex praevisis meritis Christi sublimiore modo redemptae,⁷ libera acceptatio accessisset (cf. Lc. 1, 38),⁸ ut Filius Dei incarnatione eius quoque Filius ac novus Adam Salvatorque mundi fieret. Quo consensu, Maria, filia Aadae, facta est non tantummodo mater Iesu, unici divini Mediatoris ac Redemptoris, verum etiam cum eo et sub eo operam suam consociavit in humani generis redemptione peragenda.⁹ Huiusmodi autem Dei Genitricis salutaris consensus, unde et eius consortium in redemptionis opere perficiendo, a tempore virginalis conceptionis Iesu Christi usque ad eius mortem perseveravit,¹⁰ maxime vero tunc enituit, cum iuxta crucem, non sine divino consilio, stetit (cf. Io. 19, 25); vehementer cum Unigenito suo condoluit; eum ut pretium redemptionis nostrae, cum Ipso et per Ipsum magno animo obtulit;¹¹ cumque demum ab eodem Christo Iesu in cruce moriente mater hominibus data est (cf. Io. 19, 26-27).¹² Quoniam vero humanae redemptionis sacramentum non ante perfectum erit, quam promissus a Christo Spiritus Sanctus, in die Pentecostes, advenerit, Mariam una cum Apostolis in oratione in Caenaculo contemplamur perseverantem (cf. Act. 1, 14), suis quoque precibus effusionem Spiritus implorantem.¹³

Cum itaque beatissima Virgo ab aeterno praedestinata ut esset Dei hominumque mater, divina Providentia sic disponente hisce in terris Christi passibilis fuerit generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda, caelestium quoque gratiarum administratrix et dispensatrix iure meritoque salutatur.

Hinc sequitur Mariam, quae in corpore Christi mystico condendo partem habuit, quaeque assumpta in caelum ac Regina a Domino constituta, erga omnes maternum gerit animum, super omnes post Filium suum obtinere quemdam primatum,¹⁴ ac proinde non, uti quidam aiunt, « in peripheria », ¹⁵ sed in ipsomet « centro » Ecclesiae sub Christo collocari.

3. [*De titulis quibus consociatio Beatae Virginis Mariae cum Christo in oeconomia nostrae salutis exprimi solet*]. Quoniam in cooperatione Matris Dei cum Christo, novae veluti Hevae cum novo Adamo, in humanae redemptionis peragendo opere, multiplices variique tituli, quibus Magisterium Ecclesiae, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt,¹⁶ tamquam solido fundamento, radice ac principio nituntur, nefas est dicere, eosdem titulos, in sensu

Ecclesiae intellectos, vacuos inanesque esse, immo Sacris Litteris adversari. Ita non immerito ab Ecclesia beatissima Virgo gratiarum Mediatrix nuncupatur.¹⁷ Quod si hisce in terris S. Paulus Apostolus sine intermissione in orationibus memor erat fidelium,¹⁸ et instanter subsidium precum eorum pro se poscebat,¹⁹ 5 multo magis expedit iuvatque ut nosmetipsos commendemus precibus seu intercessioni eiusdem beatissimae Virginis Mariae. Ipsa enim, strictius intimiusque quam alia quaelibet pura creatura, immo modo unice sibi proprio, Deo et Christo, Filio Dei et Filio suo, copulatur; vehementius item quam quae maxime ex 10 puris creaturis Deum diligit ab Eoque vicissim diligitur; ut mater Salvatoris (cf. Lc. 1, 31), gladio transfixa anima (cf. Lc. 2, 35), sub cruce in Filio suo pro omnium salute moriente experta est amorem Dei in amore hominum quodammodo summum fastigium attingere (cf. Io. 19, 25-27). Tot igitur tantisque titulis 15 fulata, suo amore continuo apud Deum et Christum pro nobis intercedit, et quia eius intercessio totam suam vim et efficaciam haurit ex sacrificio cruento Filii sui benedicti, haec eius mediatio minime efficit ut unus Mediator Dei et hominum desinat esse homo Christus Iesus (cf. 1 Tim. 2, 5), sicut ex eius bonitate non 20 sequitur, ut solus bonus desinat esse fons bonorum omnium, ipse Deus (cf. Mt. 19, 17, coll. Rom. 2, 4).

Licet enim inter subordinatos mediatores, quibus Sapientissimus Deus in oeconomia nostrae salutis uti voluit, nemo unus cogitari possit, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque 25 Dei Genitrix operam vel umquam contulerit, vel aliquando sit collaturus, tamen semper verum est Ipsam quoque in sua praedestinatione et sanctitate item atque in omnibus donis, a Christo dependere Eique omnino subesse.²⁰

Cum itaque haec humilis « Ancilla Domini », cui fecit « magna qui potens est » (cf. Lc. 1, 49), omnium gratiarum Mediatrix nuncupatur eo quod sociata fuit Christo in illis acquirendis, cumque advocata nostra et misericordiae mater ab Ecclesia invocatur, quoniam etiam nunc Christi gloriosi in caelis socia 30 manens, pro omnibus per Christum intercedit, ita ut in omnibus gratiis hominibus conferendis adsit materna caritas B. Virginis,²¹ nullo modo mediatio unici nostri Mediatoris, iuxta absolutam significationem verborum Apostoli (1 Tim. 2, 5): « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus », 35 obscuratur vel minuitur;²² immo haec Christi mediatio extollitur et honoratur. Maria enim in Christo est mediatrix, eiusque 40

mediatio non ex aliqua necessitate, sed ex beneplacito divino et superabundantia ac virtute meritorum Iesu provenit, mediatione Christi innititur, ab illa omnino dependet ex eademque totam vim obtinet.

5 Quapropter Sacra Synodus theologos verbique divini praecones enixe hortatur ut sedulo adnitantur, studium imprimis Sacrae Scripturae et SS. Patrum ad sensum Magisterii Ecclesiae excolentes, in vera luce ponere munera et officia B. Virginis cum
10 aliis dogmatibus connexa, potissimum vero quae spectent ad Christum, qui est centrum totius veritatis, sanctitatis et pietatis. Quo in labore semper servetur, ut dicitur, « analogia », seu dissimilis similitudo, quoties nomen aliquod aut officium simul de Christo et Virgine Maria praedicantur: etenim nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo.

15 4. [*De singularibus privilegiis Dei hominumque Matris*]. Maria Virgo a Deo, qui ineffabili eam prosecutus est amore, singularibus omnino privilegiis ornata est: mirabilis quippe fuit in suo ortu, ob immaculatam conceptionem;²³ mirabilis in sua vita, cum expers omnis culpae personalis,²⁴ insimul mater semperque, mente et corpore, virgo extiterit;²⁵ mirabilis denique
20 in suo exitu, quia etsi secundum antiquam et venerabilem traditionem mortem subiit temporalem,²⁶ quo plenius Filio suo assimilaretur,²⁷ nexibus tamen mortis cum deprimi minime potuisset, corpore et anima gloriose in caelum assumpta est.²⁸

25 Quae singularia privilegia aliaque dona gratiae a Christo Redemptore profluentia ita in eius honorem redundant ut nequeamus Matris excelsa dona contemplari quin ipsius Filii divinitatem, bonitatem, amorem, omnipotentiam miremur atque celebremus.²⁹ Siquidem iniuria matris afficit filium, ita et gloria
30 matris in filium redundat: proinde, cum Maria singularem affinitatem habuerit cum Filio suo, decuit ut ex praevisis meritis perfectissimi Redemptoris, auctoris omnis sanctitatis, — qui in hunc mundum venit ut peccatum destrueret, — in primo instanti
35 conceptionis ab omni labe peccati originalis praeservaretur immunis, gratisque ac donis longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos ornaretur ut revera Mater Dei, filia Patris, sacrarium Spiritus Sancti, omnibus creaturis dignitate praeccelleret.³⁰ Omnino quoque oportebat, ut Filius, qui peculiari dilectionis affectu Matrem prosequeretur — quique voluit corporalem integritatem Matris in ipsomet partu incorruptam atque illi-

batam manere,³¹ ita ut « virginittis gloria permanente lumen aeternum mundo » effunderet³² — illud sacratissimum virgineum corpus, augustum divini Verbi tabernaculum, templum Dei, totum sanctum, totum castum, in cinerem resolvi non pateretur.³³

5

5. [*De cultu erga beatissimam Virginem Mariam*]. Quoniam igitur beatissimae Virgini singularis competit excellentia,³⁴ ita ut et ab Archangelo nuntio Dei « gratia plena » (Lc. 1, 28), et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, benedicta inter mulieres (cf. Lc. 1, 42) salutare meruerit, nihil mirum si, quemadmodum ipsamet de seipsa prophetavit « beatam me dicent omnes generationes » (Lc. 1, 48), cunctis a gentibus et ab universis ritibus, suffragiis saeculorum decursu continuo crescentibus,³⁵ omni quidem cum laude « beata » praedicatur, colitur, amatur, invocatur, eademque in exemplum ad imitandum proponitur.³⁶ Tantum vero abest ut huiusmodi singularis cultus marialis cultui divino latriae — quo Verbo Incarnato quemadmodum et Patri ac Spiritui Sancto adoratio exhibetur — detrimento sit, ut potius illi quam maxime faveat. Varias igitur formas pietatis erga Dei hominumque Matrem, quas Ecclesia, — intra limites sanae et orthodoxae doctrinae pro temporum et locorum conditionibus et pro indole ingenioque fidelium —, approbavit, ad id spectant ut, dum Mater honoratur, Filius, in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (cf. Col. 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur eiusque mandata servantur; et sic per Christum, qui est « via et veritas et vita » (Io. 14, 6), homines ad Dei unius ac trini cognitionem supremamque adorationem perducantur.

10

15

20

25

Quam sanam, catholicam doctrinam Sacra Synodus consulto fortiterque docet eodemque tempore admonet Episcopos, ut sedulo invigilent theologis divini verbi praeconibus, ut ab omni falsa veritatis superlacione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Dei parentis dignitate considerata abstineant.³⁷

30

Meminerint porro utriusque sexus fideles veram devotionem in quodam unius momenti affectu minime consistere, prorsusque respuant omnem vanam credulitatem; e contra firmiter teneant devotionem ex vera fide procedere, qua omnes adducimur ad imitationem virtutum illius beatissimae Virginis,³⁸ quae fuit « ancilla Domini » (Lc. 1, 38), humillima et oboedientissima, quae-

35

40

que fidelissime servavit, ea « conferens in corde suo » (Lc. 2, 19),
quaecumque ad Verbum Incarnatum pertinebant (cf. Lc. 2, 51),
beata quia credidit (cf. Lc. 1, 45) salutata. Nihil enim materna
propinquitas Mariae profuisset, « nisi felicius Christum corde
5 quam carne gestasset ».³⁹

Quo debito honore ac reverentia Matrem Domini et Salva-
toris nostri ipsos quoque haud paucos fratres separatos, potissi-
mum vero Orientales, — qui fervido quodam impulsu in Deipara-
ram peculiari modo colendam feruntur⁴⁰ — prosequi, magnum
10 Sacrae Synodo gaudium ac solatium affert.

Hinc manifesto patet perperam ac immerito exprobrari catho-
licae Ecclesiae erga Deiparam cultum, tamquam si exinde aliquid
ex cultu uni Deo ac Iesu Christo debito subduceretur.

6. [*Maria Sanctissima Fautrix unitatis christianae*]. Maria,
15 Mater et Virgo sanctissima, cum homines universos in Calvario
habuerit materno cordi commendatos, vehementer cupit ut non
modo illi qui uno donati sunt baptisate unoque Spiritu agun-
tur,⁴¹ verum etiam illi qui se fuisse a Christo Iesu redemptos
ignorant,⁴² una eademque, tum cum divino Salvatore tum inter
20 se ipsos, fide et caritate cohaereant. Quapropter S. Synodus certa
spe ac fiducia nititur fore ut haec Mater Dei hominumque, — quae
intercessit (cf. Io. 2, 3) ut Verbum Incarnatum primum si-
gnum operaretur in Cana Galileae, ex quo crediderunt in eum
discipuli eius (cf. Io. 2, 11), atque nuper ortae Ecclesiae ad-
25 stitit,⁴³ — patrocínio suo a Deo impetret ut tandem aliquando
omnes in eundem gregem sub uno Pastore conveniant (cf. Io.
10, 16).⁴⁴ Quamobrem omnes prorsus christifideles hortatur,
ut preces supplicationesque ad hanc Fautricem unitatis,⁴⁵ atque
30 Adiutricem Christianorum, instanter effundant, ut, ipsa interce-
dente, divinus eius Filius cunctas familias Gentium, et praepri-
mis illos qui christiano nomine gloriantur, in unum Dei popu-
lum congreget, qui Christi Vicarium in terris, beati Petri Suc-
cessorem, — quem in Ephesina Synodo, ubi sollemniter dogma
maternitatis divinae sancitum fuit, unanimi plausu Patres « Cu-
35 stodem fidei » merito consalutarunt,⁴⁶ — tamquam communem
Patrem amanter agnoscat.

* PRAENOTANDA

I - Ad Commissionem Antepreparatoriam Concilio Vaticano II apparando centena ac centena pervenerunt vota (circa 600), quibus postulatur ut hoc in Oecumenico Concilio sermo fiat de Beatissima Virgine Maria [cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, Series I, Appendix voluminis II, Pars I, 1961, pp. 131-142]. Immo, haud desunt qui velint ut Concilium sive specialem quemdam tractatum « de augustissima Christi Matre », sive « Encyclicam » edat [cf. *Acta et Documenta...*, Series I, Vol. II, Pars II, pp. 540-543; 549], eo vel magis quod videtur « futurum Concilium de Ecclesia valde imperfecte acturum esse nisi de Beata Maria Virgine quoque agatur, praesertim in hisce temporibus, ubi maximus conflictus adest fideles inter et Satanam » [cf. *Acta et Documenta...*, Series I, Vol. II, Pars V, p. 103]. Et sane, doctrina de Dei hominumque Matre tali via ac ratione hisce ultimis decenniis et a Summis Pontificibus et ab Episcopis et a theologis pertractata est, ut iure meritoque tum a catholicis tum ab acatholicis expectetur clarum verbum ex quo pateat quid reapse Ecclesia Catholica qua talis, de munere, privilegiis et cultu mariali credit, *tenet* docetque. Id autem opportune fit in *peculiari* Const.: *De Maria Matre Dei et Matre hominum*.

II - Quoniam « una cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur » [PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis*, 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 569], et quoniam, uti notum est, potissimum Summi Pontifices huius ultimi saeculi doctrinam marianam in deposito fidei contentam illustrarunt, — praeprimis ac praecipue ad duas bullas dogmaticas, nempe: *Ineffabilis Deus* et *Munificentissimus Deus*, et deinde ad varia documenta Romanorum Pontificum remittimus. Quae quidem documenta coadunata inveniuntur in operibus:

— MARIN H., S. I., *Doctrina Pontificia*, IV, Biblioteca de Autores Cristianos, Madrid 1954;

— *Notre-Dame*, coll. « Les enseignements pontificaux », par les Moines de Solesmes, 1957;

— TONDINI H., *Le encicliche mariane*, Roma 1953;

— LEMIEUX E., *Marie: Documents pontificaux sur la Très Sainte Vierge, parus depuis un siècle, 1854-1954*, vol. I-IV, Québec, 1954.

Quae omnia, ut patet, desumpta sunt ex *Actibus Romanorum Pontificum* [scilicet ASS, AAS, Pii IX P. M. Acta, Leonis XIII P. M. Acta, Pii X P. M. Acta], ad quae generatim remittimus.

III - Hic illic remittitur ad quosdam fontes traditionis christianae. Attenta autem controversia inter theologos catholicos circa originem, auctoritatem et sensum talium fontium, hoc Schema opportune non singulis dictis sive Patrum sive theologorum, sed ipsius Magisterii Ecclesiae auctoritate nititur, *cuius doctrinae certitudo a speciali assistentia Spiritus Sancti provenit, ita ut ad sensum huius Magisterii et Scriptura et Patres interpretandi sint*. Neque silentio praetereundum ipsum quoque PIUS XII, in Litteris Encyclicis *Ad Caeli Reginam* [cf. AAS 46 (1954) p. 628] allegare ma-

xime discussa opera S. EPHRAEM, nempe *Hymnos* et *Orationes*, minime sane volens ideo dare, ut dicitur, « garantiam » authenticitati talium operum. Unde potius quam singulae notae (hic a nobis interim, seu ad tempus positae, et quae habent *secundarium* momentum) singulae propositiones schematis, in quibus nullum novum dogma, ut ex ipso schemate clare apparet, sed solida et sana doctrina Magisterii ecclesiastici prostat, sedulo ponderandae et examini subiiciendae sunt.

IV - Collatis singulis propositionibus huius brevissimi « Schematis » de Matre Dei cum nonnullis textibus, quos ex tot tantisque documentis marialibus Romanorum Pontificum attulimus, statim apparebit quod:

1) Nulla prorsus est sententia in « Schemate » quae non fuerit a Summis Pontificibus prolata.

2) Varii errores qui hodie circa beatissimam Virginem sparguntur reiecti sunt, veritatem faciendo in caritate. Ita e. g. corriguntur erratae opiniones:

a) quod virginitas in partu B. V. Mariae sit univoca, identica, absque ullo alio elemento, cum virginitate ante partum;

b) quod beatissima Virgo tempore Annuntiationis prorsus ignoraverit Filium, quem conceptura erat, esse Deum;

c) reicitur error tum « maximalistarum » qui vel ita loquuntur ac si B. Virgo nos eodem fere modo ac Christus redemisset, vel dicunt Mariam mortuam non esse, aut redemptam non esse; tum « minimalistarum » qui tali via ac ratione scribunt ac si Mater Dei esset eiusdem speciei membrum Ecclesiae sicut et ceteri filii Adae...

3) Etsi quoad argumenta pertractata « tota et integra doctrina catholica est proposita et exposita » [Instructio S. C. S. Officii *De motu oecumenico*: AAS 42 (1950) p. 144], Tamen iugiter prae oculis habiti sunt fratres separati eorumque modus cogitandi. Quapropter:

a) Omissae sunt expressiones et vocabula quaedam a Summis Pontificibus adhibita, quae, licet in se verissima, possent difficilius intelligi a fratribus separatis (in casu a protestantibus). Inter alia vocabula adnumerari queunt sequentia: « Corredemptrix humani generis » [S. PIUS X, PIUS XI]; « Reparatrix totius orbis » [LEO XIII]; « materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit » [BENEDICTUS XV, PIUS XII], « merito dici queat Ipsam cum Christo humanum genus redemisse » [BENEDICTUS XV], etc.;

b) Inculcatum est quod oportet considerare oeconomiam nostrae salutis *non quo pacto id posse queat*, sed quo hanc oeconomiam Deus voluit [cf. dictum LEONIS XIII circa Ecclesiam in Litt. Encycl. *Satis cognitum*, 29 iun. 1896: DENZ. 1954];

c) Explicatum est quomodo mediatio B. Virginis, nedum mediationi Christi officiat, potius illam exaltet et honoret; item quomodo cultus marialis nullo modo cultui Deo vel Christo debito detrimento sit, etc.;

d) Dogmata Immaculatae Conceptionis et Assumptionis, argumentis a ratione theologica desumptis et a *Patribus Graecis* diffuse expositis necnon in Const. dogmatica *Munificentissimus Deus* reassumptis, ita illustrantur ut saltem ipsum factum istius duplicis privilegii mariani cuique menti christianae obvium ac rationabile appareat;

e) Omnes christifideles invitantur ut effundant concordēs preces ad Fautricem unionis christianae, ut tandem adimpleatur illud mandatum Christi: « ut sit unum ovile et unus Pastor »!

V - Notae et commentaria quae sequuntur ad id *unice* spectant ut auxilio possint esse ad recte ipsum textum huius Constitutionis diiudicandum. In ipsomet schemate definitivo, a Patribus approbato, possent retineri, una cum allegationibus Sacrae Scripturae, tantummodo paucissimae aliae allegationes et hoc etiam ne schema dogmaticum aspectum alicuius thesēos doctoralis obtineat.

NOTAE

¹ PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. I, p. 599: « vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta »;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Augustissimae Virginis*, 12 sept. 1897: Leonis XIII P. M. Acta, XVII, p. 285: [Deus] « eam enim ab aeterno ordinavit ut Mater Verbi fieret humanam carnem assumpturi; ideoque inter omnia, quae essent in triplici ordine naturae, gratiae, gloriaeque pulcherrima, ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuerit: “ Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam ” [Eccli. 24, 5] »;

PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus*, 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 768: « Idcirco augusta Dei Mater, Iesu Christo, inde ab omni aeternitate “ uno eodemque decreto ” praedestinationis, arcano modo coniuncta... ».

² S. AUGUSTINUS, *De sancta virginitate*, VI, 6: PL 40, 399, CSEL 41, 240.

³ S. AUGUSTINUS, *Sermo 25, De verbis Evangelii Matthaei XII*, 41-50, 7: PL 46, 938: « Maria portio est Ecclesiae, sanctum membrum, excellens membrum, supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum ».

⁴ S. AMBROSIIUS, *In Luc. II, 7*: PL 15, 1555 (1635-1636), CSEL 32/4, 45: Maria « bene desponsata, sed virgo quia est Ecclesiae typus »;

Cf. S. AUGUSTINUS, *Sermo 213, 7*: PL 38, 1064: « Mariae similima est » Ecclesia. [Cf. MORIN G., O. S. B., *S. Aurelii Augustini Tractatus sive sermones inediti ex cod. Guelferbyitano 4096*, Monaci 1917, p. 7];

S. AUGUSTINUS, *Sermo 25, De verbis Ev. Matthaei XII*, 41-50: PL 46, 938: « In ipsius typo [Ecclesiae] Maria virgo praecessit »; cf. DENIS M., *Sancti Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi Sermones inediti adiunctis quibusdam dubiis*, Vindobonae 1792, pp. 116-124; MORIN G., O. S. B., *S. Augustini Sermones post Maurinos reperti probatae dumtaxat auctoritatis nunc primum disquisiti...*, in: *Miscell. Agostiniana* (Studi e Testi, I), Romae 1930, p. 163.

⁵ Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi*, 5 sept. 1895: Leo-

nis XIII P. M. Acta, XV, p. 302: « ... verissime quidem Mater Ecclesiae atque magistra et regina Apostolorum... »;

BENEDICTUS XIV, Bulla aurea *Gloriosae Dominae*, 27 sept. 1748 [Documentos Marianos, n. 210]: « ... Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eadem... tamquam amantissimam Matrem... semper professa est ».

⁶ S. AUGUSTINUS, *Quaestiones Octoginta tres*, q. 11: PL 40, 14; *De Trin.* I, 13, c. 18: PL 42, 1032.

INNOCENTIUS III, *Sermo 28, In Assumptione B. M. V.*: PL 217, 581: « Oportebat enim, ut sicut per feminam mors intravit in orbem, ita per feminam vita rediret in orbem. Et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret... ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam*, 11 oct. 1954: AAS 46 (1954), pp. 634-635: « Si Maria, in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, *ex Dei placito sociata fuit*, et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quandam "recapitulationem" [S. IRENAEUS, *Adv. haer.*, V, 19: PG 7, 1175 B] peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur... ».

⁷ ALEXANDER VII, in Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, 8 dec. 1661, adhibuit formulam « eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii humani generis *Redemptoris*, a macula peccati originalis praeservatam immunem » [cf. *Virgo Immaculata*, in: *Acta Congressus Mariologici-Mariani*, Romae anno 1954 celebrati, vol. II, Romae 1956, p. 219; Bulla *Ineffabilis Deus*: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. I, p. 602].

In ipsamet Bulla legitur: « Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in istis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita numquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et IDCIRCO *sublimiori modo redemptam* » [SARDI V., *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato concepimento*, Romae, 1905, II, p. 306].

In *Instrumento dogmaticae definitionis Immaculati Conceptus Beatae V. Mariae* legitur: « *gratia plenam, benedictam in mulieribus*, omnino nempe ab originis labe praeservatam, ET IDCIRCO SUBLIMIORI MODO REDEMPTAM » [SARDI V., *Op. cit.*, II, p. 454].

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona*, 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) p. 581: « Facile cernimus Christum Dominum perfectissimo quodam modo divinam Matrem suam revera redemisse, cum, Ipsius meritorum intuitu, eadem a Deo praeservata esset a quavis hereditaria labe immunis ».

⁸ In Lc. 1, maternitas divina proponitur Mariae [30-33], Maria difficultates exponit quas angelus solvit [34-37], et tunc demum Maria assentitur [38].

S. LEO MAGNUS, *Sermo 21*, c. 1: PL 54, 191: « Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu divinam humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore ».

INNOCENTIUS III, *Sermo 12: In Purificatione B. V. M.*: PL 217, 506: « His ita peractis, statim Spiritus Sanctus advenit, et triplicem viam ante faciem Domini praeparavit. Prima fuit virginalis consensus... ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Octobri mense*, 22 sept. 1891: Leonis XIII P. M. Acta, XI, p. 303: « Filius Dei aeternus, quum, ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit quam liberrima consensus accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Iucunda semper*, 8 sept. 1894: Leonis XIII P. M. Acta, XIV, p. 307: « Filius enim Dei aeternus sese inclinavit ad homines, homo factus; assentiente vero Maria et concipiente de Spiritu Sancto ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Octobri mense*: ASS 24 (1891) p. 195. Virgineum consensum fuisse omnino liberum quamplurimi sancti, Patres et theologi affirmant. Cf. BOVER I. M., *Deiparae Virginis consensus correptionis ac mediationis fundamentum*, Matriti, 1942, pp. 245-248.

^o Iuxta doctrinam Romanorum Pontificum, « FIAT » prolatum a B. Virgine in Annuntiatione fuit origo missionis et gloriae B. Virginis Matris et Reginae. Maria fuit sibi conscia se concipere Verbum Dei; fuit conscia loci et muneris quatenus est Mater Redemptoris et hominum; responsum dedit angelo prompte et nomine totius humanitatis faciens possibilem passionem, mortem et resurrectionem Christi; cum hoc « FIAT » facta est *mater spiritualis hominum*. Cf. *Notre-Dame*, « Les enseign. pontif. », p. [73], n. 701, 741, 214, 372, 381, 230, 648.

S. LEO MAGNUS, *Sermo 6 in Nativitate Domini*: PL 54, 213: « Generatio enim Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est corporis ».

LEO XIII, Litt. Apost. *Parta humano generi*, 8 sept. 1901: Leonis XIII P. M. Acta, XXI, p. 158: « O quam suavis igitur, quam grata angelica saluatio accidit beatae Virgini, quae tum, cum Gabriel eam salutavit, SENSIT SE DE SPIRITU SANCTO CONCEPISSE Verbum Dei ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Fidentem piumque*, 20 sept. 1896: Leonis XIII P. M. Acta, XVI, pp. 282-283: « Ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tunc scilicet quum pacifici sacramenti nuncium, ab Angelo in terris allatum, admirabili assensu *loco totius humanae naturae*, excepit... inde simul elucent Mariae promerita de reconciliatione et salute nostra ».

S. PRUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr. 1904: Acta Pii X, I, pp. 152-153: « An non Christi mater Maria? Nostra igitur et mater est... aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator. ... In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit et *spiritale* simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum *qui credituri erant* in eum. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus corporis eius, de carne eius et ossibus eius*, de Mariae utero egressi sumus, tam-

quam corporis instar cohaerentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrum omnium mater est... ».

Eandem ideam repetit PIUS XII in sermone ad Congressum Marianum Canadensem, 19 iun. 1947: AAS 39 (1947) pp. 268-270.

PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*, 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) pp. 247-248: « Ipsa fuit, quae Christum Dominum, iam in virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate donatum... edidit... Ipsa igitur, omnium membrorum Christi sanctissima Genitrix... ».

Ibid., p. 247: « Quaeque consensit " loco totius humanae naturae ", ut " quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam " haberetur ».

BOVER I. M., in *op. cit.* per plus quam 350 paginas probare conatur Deiparae Virginis consensum corredemptionis ac mediationis fundamentum esse. Et sane, angelus Virgini una cum divina maternitate humanam quoque salutem annuntiat, et Virgo, angelo respondens, humanam quoque salutem intendit ac spectat. Ulterius, Incarnatio est salutis exordium, et divina maternitas ad humanam salutem a Deo providenter ordinatur et fructum edit formaliter salutarem.

S. IOANNES DAMASCENUS, *Homilia 1 in Nativ. B. V. M.*: PG 96, 671: « Maria divinae obsequens voluntati, deceptorem anguem ipsa decepit, ac mundo immortalitatem invexit ».

Nota sunt praeterea verba S. LEONIS, *Sermo in Nativ. Domini*, c. 1: PL 54, 191: « *Prius mente quam corpore* » Virgo concepit.

Cf. etiam S. AUGUSTINUS, *Sermo 215*, 4: PL 38, 1074. Est consensus in Salvatore incarnandum qui [Mt. 1, 21] « salvum faciet populum suum a peccatis eorum ».

Notum est auctores catholicos haud idem sentire quoad varios textus patristicos, qui in supra allegato opere P. BOVER leguntur. Id potissimum dicendum quod attinet ad scripta S. EPHRAEM, de quo iure meritoque scribit RICCIOTTI: « Trattare degli scritti di S. Efrem è come mettersi a navigare in un mare le cui rive ancora non siano state tutte esplorate e sulla cui superficie s'intravedono minacciosi molti scogli: il mare è la quantità degli scritti, le rive sono il loro numero, gli scogli sono le interpolazioni e false attribuzioni » [cf. RICCIOTTI G., *S. Efrem Siro...*, Roma-Torino, 1925, p. 91].

¹⁰ Cf. Lc. 2, 1-7; 2, 16-20; 22, 22-38; Mt. 1, 20-23; 2, 11. 13-15; Io. 19, 25-27.

LEO XIII, Litt. Apost. *Parta humano generi*, l. c. XXI, p. 159: Maria « mysteriis nostrae Redemptionis... non adfuit tantum, sed interfuit ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Iucunda semper*: l. c. XIV, p. 307: « Quum enim se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto iam tum (!) consors cum eo exstitit laboriosae pro humano genere expiationis ».

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr. 1904: Acta Pii X, I, p. 150: « Opus est omnino sanctissimam eius Matrem mysteriorum divinatorum participem ac veluti custodem agnoscere, in qua, tamquam in fundamento post Christum nobilissimo, fidei saeculorum omnium exstruitur aedificatio ».

¹¹ Summi Pontifices loquendo de Maria sub cruce dicunt quod Maria exercebat actus fidei, spei et caritatis, ita unita amore doloribus Christi ut sit connexio inter compassionem Mariae et redemptionem; ipsa renuntiat iuribus maternis et offert sacrificium maternum, fitque nostra mater spiritualis. Paucis verbis: compassio Mariae connexionem habet cum redemptione, talique modo ut ipsa inde merito dici possit *corredemptrix*, et per modum unius recensentur fructus redemptionis Christi et compassionis Mariae.

En quidam textus:

LEO XIII, Litt. Apost. *Iucunda semper*, 8 sept. 1894: Acta Leonis XIII, XIV, pp. 307-308: « Concors cum eo exstitit laboriosae pro humano genere expiationis: ex quo etiam, in acerbissimis Filii angoribus et cruciamentis, maxime animo condoluisse dubitandum non est. Ceterum, praesente ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat... *stabat iuxta crucem Iesu Maria, Mater eius*, quae tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, Filium ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum eo commoriens corde, doloris gladio transfixa ».

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr. 1904: Acta Pii X, I, p. 153: « Ad haec, Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod *nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suae materiam ministravit*, qua nimirum saluti hominum compararetur hostia; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque atque adeo, stato tempore, sistendae ad aram ».

BENEDICTUS XV, Litt. Apost. *Inter sodalicia*, 22 mart. 1918: AAS 10 (1918) p. 182: « Ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat, Ipsam cum Christo humanum genus redemisse ».

PIUS XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus Redemptor*, 8 maii 1928: AAS 20 (1928) p. 178: « Praesens arrideat Virgo Dei Parens benignissima, quae, cum Iesum nobis Redemptorem ediderit, aluerit, apud crucem hostiam obtulerit, per arcanam cum Christo coniunctionem eiusdemque gratiam omnino singularem, Reparatrix item extitit pieque appellatur ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: AAS 35 (1943), p. 247: « Ipsa fuit, quae vel propriae vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eundem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Eva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit ».

Afferri quoque potuissent, praeter testimonia Ss. Roberti Bellarmini et Petri Canisii, permultae aliorum theologorum auctoritates.

¹² Notum est plures Vicarios Christi constanter et consulto affirmasse Iesum Christum sanxisse Matrem suam nostram quoque esse Matrem, eamque testamento illo sollemni a Ioanne tradito [cf. Io. 19, 26-27], nobis in persona Discipuli dilecti reliquisse; cf. UNGER D., O. F. M. Cap., *The Meaning of John 19. 26-27 in the Light of Papal Documents*, in: *Marianum* 21 (1959), pp. 186-221, ubi afferuntur testimonia BENEDICTI XIV, PII VIII, GREGORII XVI, PII IX, LEONIS XIII, BENEDICTI XV,

PII XI, PII XII. Ex hisce quamplurimis testimoniis en quaedam tantummodo:

LEO XIII, Litt. Encycl. *Octobri mense*: ASS 24 (1891-92) p. 196: « ... talem de cruce praedicavit, quum *universitatem humani generis*, in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit... »;

Id., Epist. Apost. *Amantissimae voluntatis*, 14 apr. 1895: ASS 27 (1894/95) p. 592: « ... sanctissimam Dei Genitricem, quam *humano generi* Christus ipse e cruce reliquit atque attribuit matrem... »;

Id., Litt. Encycl. *Adiutricem populi*: ASS 28 (1895/96) p. 130: « Eximiae in nos caritatis [Christi] mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testamento memori: " Ecce filius tuus ". In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam *humani generis*, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent... »;

BENEDICTUS XV, Litt. Apost. *Inter Sodalicia*, 22 mart. 1918: AAS 10 (1918) p. 182: « Liqueat item, Virginem Perdolentem, utpote quae, a Iesu Christo *universorum hominum Mater* constituta... »;

Prus XI, Litt. Apost. *Explorata res*, 2 febr. 1923: AAS 15 (1923) p. 104: « ... Virgo perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit, et constituta *hominum Mater*, eos, sibi veluti testamento divinae caritatis commendatos, amplexa... »;

Id., Litt. Encycl. *Lux veritatis*, 25 dec. 1931: AAS 23 (1931) p. 514: « ... talem de cruce praedicavit, cum universitatem humani generis in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit » [citando Encycl. Leonis XIII, cf. supra];

Prus XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona*, 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) p. 584: « ... Mater nostra Maria nihil optatius habet, nihil iucundius, quam cum eos videt, quos sub Cruce Nati in eius vicem suscepit filios... »;

Id., Epist. ad Em.mum Card. Al. Maglione, 15 apr. 1942: AAS 34 (1942) p. 126;

Id., Alloc. *Iis qui interfuerturunt Conventui Sodalitatis internationalis " Filiarum Mariae Immaculatae "*, 17 iul. 1954: AAS 46 (1954) p. 494;

IOANNES XXIII, *Nuntius Radiophonicus VII Congressui Mariano Galliae*: *L'Oss. Rom.* 10-11 iul. 1961: « La sainte Ecriture, avec ce point très lumineux... qui vous conduit... au sommet sublime de la théologie mariale, Jésus au haut sur la croix: à ses pieds, Marie, la mère, et Jean, l'Apôtre de prédilection... »;

Id., *L'omaggio dei redenti alla Madre celeste*: *L'Oss. Rom.* 8 sept. 1960: « Il Nuovo Testamento incomincia, ben si può dire, con le parole del divino Inviato: " Angelus Domini nuntiavit Mariae ". Al termine, al vertice della comunicazione della Divinità con l'umanità, è Gesù il Redentore del mondo, il quale, poco prima della sua morte di croce, affida Maria all'Apostolo Giovanni dicendogli: " Ecco tua Madre ", e raccomandando il discepolo a Maria aggiunge: " Ecco il tuo figlio ". Il testamento del Signore è il suggello, la manifestazione più alta della vita della santa Chiesa... Nella vita del cristiano tutto dunque è illuminato da questa nota che tocca il cuore: Maria nostra Madre ».

Cf. KERRIGAN A., O. F. M., *Jo. 19, 23-27 in the Light of Johannine Theology and the Old Testament*, in: *Antonianum* 35 (1960) pp. 369-416.

¹³ Act. 1, 14; 2, 1-4.

LEO XIII, Litt. Encycl. *Superiore anno*, 30 aug. 1884: Acta Leonis XIII, IV, p. 124: « Intuendum item in exemplum Apostolorum, qui maximum Spiritus Paracliti donum sibi promissum exspectaverunt, perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Iesu ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi*: Acta Leonis XIII, XV, p. 302: « In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis... Huius igitur singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Caenaculo auspiciis: christianae gentis primitias iam tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii, solatii suavitate, efficacitate sanctorum precum admirabiliter fovit; verissime quidem mater Ecclesiae atque magistra et regina Apostolorum, quibus largita etiam est de divinis oraculis quae *conservabat in corde suo* ».

LEO XIII, Litt. Apost. *Iucunda semper*, 8 sept. 1894: Acta Leonis XIII, XIV, p. 308: « Quoniam vero humanae redemptionis sacramentum non ante perfectum erit quam promissus a Christo Spiritus Sanctus advenerit, ipsam idcirco in memori Caenaculo contemplamur, ubi simul cum Apostolis pro eis postulans inenarrabili gemitu, eiusdem Paracliti amplitudinem maturat Ecclesiae, supremum Christi donum, thesaurum nullo tempore defecturum ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: AAS 35 (1943) p. 248: « Ipsa fuit, quae validissimis suis precibus impetravit, ut Divini Redemptoris Spiritus, iam in Cruce datus, recens ortae Ecclesiae prodigialibus muneribus Pentecostes die conferretur ».

¹⁴ PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam*, 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) pp. 625-640. Hisce in litteris encyclicis quibus festum universale Mariae Reginae instituitur, huius regalitatis factum, tituli, natura explanantur. Regalitas Mariae eruitur ex Sacra Scriptura [Lc. 1, 30-35], ex traditione, ex ratione theologica: nempe ex divina maternitate et ex consortio cum Christo Rege. « Si Maria — scribit PIUS XII, *l. c.* p. 634 ss. — in spiritali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito sociata fuit, et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quandam "recapitulationem" peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur; si praeterea asseverari itidem potest hanc gloriosissimam Dominam ideo fuisse Christi matrem delectam "ut redimendi generis humani consors efficeretur" ...; inde procul dubio concludere licet, quemadmodum Christus, novus Adam, non tantum quia Dei Filius est, Rex dici debet, sed etiam quia Redemptor est noster, ita quodam analogiae modo, Beatissimam Virginem esse Reginam non tantummodo quia mater Dei est, verum etiam quod nova veluti Heva cum novo Adam consociata fuit ».

Pag. 635: « Nullum igitur dubium est Mariam Sanctissimam digni-

tate sua super omnes res creatas excellere itemque super omnes post Filium suum obtinere primatum ».

¹⁵ De tendentia « minimalistica » inter ipsos quosdam catholicos viros sparsa, qui potissimum sic dictam viam « ecclesiologicam » tenent, cf. e. g. PINSK J., *Grundsätzliche und praktische Erwägungen zur christlichen Verkündigung im Marianischen Jahr*, Berlin 1954;

GEISELMANN J. R., *Marien-Mythos und Marien-Glaube*, in: *Maria in Glaube und Frömmigkeit...*, 1954, pp. 39-91.

PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano*, Romae habito, 24 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 679: « Etsi verum est Beatissimam Virginem quoque, uti nos, Ecclesiae esse membrum, tamen non minus verum est eam esse Corporis Christi Mystici membrum PLANE SINGULARE ».

¹⁶ In antiquitate christiana Maria solet nuncupari Eva qui titulus ex principio recirculationis seu parallelismi inter Mariam et Evam videtur esse desumptus. Testimonium huius adstat iam apud S. Iustinum (*Dialogus cum Tripbone*, 100: PG 6, 710): « Et cum Eum Filium Dei esse... legamus... et ex Virgine hominem esse factum, *ut qua via initium orta a serpente inoboedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet...* ». Eodem autem principio suffultus S. Irenaeus Mariam explicite appellat *causam salutis* universi generis humani (*Adversus haereses*, III, c. 24, 4: PG 7, 959). Post Concilium Ephesinum ipsemet titulus *Mediatricis* vel, ut graeci aiunt, *Mesites seu Mesetria*, Mariae attribuitur. Apud sat antiquum auctorem (quidam dicunt saec. v, sed certe ante saec. VIII) legitur: « Ipsa enim est caeli et terrae *Mediatris*, quae unionem naturaliter peregit » (*Homilia V de laudibus S. Mariae Deiparae*: PG 43, 491). Qui titulus communior in dies evasit, uti videre est apud S. Andream Cretensem (PG 97, 866), S. Germanum Constantinopolitanum (*In Dormitione Deiparae*: PG 98, 362, 369), S. Ioannem Damascenum (*In Annuntiatione B. V. Mariae*: PG 96, 659), etc. Neque desunt SS. Patres qui Mariam salutant ceu « *Adiutricem Redemptoris* » (cf. *Encomium in Dormitionem S. Dominae Nostrae*: PG 86, 3294), vel *matrem viventium*, idque allegando Gen. 3, 15 (S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 78: PG 42, 727).

Quae omnia evoluta sunt a Theologis et a Summis Pontificibus, et creata est nomenclatura, ubi Maria vocatur mox *Mater spiritualis hominum*, mox *Regina caeli et terrae*, alia vice *Nova Heva*, *Mediatris*, *Dispensatrix omnium gratiarum*, immo et *Corredemptrix*. Quod attinet ad titulum « Regina » cf. notam ¹⁴; quoad titulum « Mater spiritualis », « Mater hominum » cf. notam ¹²; quoad titulum « Corredemptrix », « Socia Christi Redemptoris » hic quaedam adiungenda sunt:

Iam saeculo X occurrit titulus *Redemptrix*: « Sancta redemptrix mundi, ora pro nobis ». Quando saeculo XV et XVI hic titulus usitatus evadit, et iam percipitur immediata cooperatio B. Virginis in opere nostrae redemptionis, vocabulo « Redemptrix » additur « con », et ita Mater Dei nuncupatur « corredemptrix », dum Christus « Redemptor » appellari pergat. Inde a saeculo XVII, titulus « Corredemptrix » communissime usurpatur non solum in operibus pietati ac devotioni inservientibus, verum

etiam in quamplurimis tractatibus theologicis [cf. CAROL J., *De correptione Beatae Virginis Mariae*, Romae, 1950, p. 482].

Quod vero attinet ad Romanos Pontifices, occurrit in quibusdam textibus S. Pii et Pii XI, in contextibus minoris ponderis: cf. ASS 41 (1908) p. 409; AAS 6 (1914) pp. 108 s.; *L'Osserv. Rom.*, 29-30 apr. 1935.

PIUS XII consulto vitare voluit hanc expressionem adhibendo frequenter formulas « Socia Redemptoris », « Generosa Redemptoris Socia », « Alma Redemptoris Socia », « Socia in Divini Redemptoris opere ».

Consortium Mariae cum Iesu in oeconomia nostrae salutis saepe saepius a Summis Pontificibus extollitur: « ad magnam Dei Matrem eandemque reparandi humani generis consortem » [LEO XIII, Const. Apost. *Ubi primum*, 2 febr. 1898: Acta Leonis XIII, XVIII, p. 161];

PIUS XI, Alloc. *peregrinantibus e dioecesi Vicent.*: *L'Osserv. Rom.* 1 dec. 1933: « Il Redentore non poteva, per necessità di cose, non associare la Madre Sua alla Sua opera, e per questo noi la invochiamo col titolo di *Corredentrice...* »;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam*, 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 634: « Si Maria, in spirituali procuranda salute cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito *sociata* fuit... ».

Praeter titulos allatos adsunt quamplurimi alii, quibus a christifidelibus Maria salutatur.

LEO XIII, Litt. Encycl. *Supremi Apostolatus*, 1 sept. 1883: Acta Leonis XIII, III, p. 282: « Veteris et recentioris aevi historiae, ac sanctiones Ecclesiae fasti publicas privatasque ad Deiparam obsecrationes vota commemorant, ac vicissim praebita per Ipsam auxilia partamque divinitus tranquillitatem et pacem. Hinc insignes illi tituli, quibus Eam catholicae gentes christianorum Auxiliatricem, Opiferam, Solatricem, bellorum potentem Victricem, Paciferam consalutarunt ».

Cf. PIUS VI, Const. *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794 [*Documentos Marianos*, n. 230]: « Item [doctrina] quae vetat, ne imagines, praesertim beatae Virginis, ullis titulis distinguantur, praeter denominationibus, quae sint analogae mysteriis, *de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio*; quasi nec adscribi possent imaginibus pie aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat: temeraria, piarum aurium offensiva, *venerationi beatae praesertim Virgini debita iniuriosa* ».

¹⁷ Perlustranti *Appendicem voluminis II Actorum et Documentorum Concilio Vaticano II apparando* (pp. 131-140) apparebit *plus quam* 500 Episcopos et Praelatos ex omnibus quinque partibus mundi postulasse definitionem sollemnem alicuius socialis muneris B. Virginis, et potissimum eius universalis mediationis quoad gratias. Et sane, ut scribit P. DE ALDAMA, S. I., *Sacrae Theologiae Summa*, III, Matrity 1956, p. 419: « B. Virginem Mariam esse mediatricem *aliquo vero sensu*, idque ex titulo omnino speciali prae aliis Sanctis, *est de fide ex magisterio ordinario*. Recte usurpari titulum Mediatricis, *est certum ex multiplici usu Romanorum Pontificum, et Liturgiae*; nec de hoc licet dubitari ». Et iterum (p. 427): « Mediationem Mariae quoad gratias dispensandas esse omnino specialem ac mediationi Sanctorum longe antecellere, videtur esse de fide ex magi-

sterio ordinario. *Id referri ad omnes gratias generali modo, est saltem doctrina catholica* ». Simili modo alii probati auctores loquuntur.

En nonnulla testimonia ex documentis Pontificiis:

PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. I, p. 617: « Totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix »;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Supremi Apostolatus*: Leonis XIII P. M. Acta, III, pp. 280-281: « Magnam Dei Parentem Mariam Virginem, quae pacis nostrae apud Deum sequestra et caelestium administra gratiarum, in celsissimo potestatis est gloriaeque fastigio in caelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contentibus patrocini sui subsidium impertiat »;

Id., Litt. Encycl. *Iucunda semper*, 8 sept. 1894: Leonis XIII P. M. Acta, XIV, p. 309: « Non alia nimirum nisi hac de qua dicimus conciliationis et deprecationis lege, a sancto Bernardino Senensi in hanc sententiam expressa: « Omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensantur »;

Id., Litt. Encycl. *Adiutricem populi*, 5 sept. 1895: Leonis XIII P. M. Acta, XV, p. 303: « Ipsam dominam nostram, ipsam reparatricem totius orbis, ipsam donorum Dei esse conciliatricem »;

Id., *Ibid.*: « Quae sacramenti humanae redemptionis patranda ministra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter ministra »;

Id., Litt. Encycl. *Fidentem piumque*, 20 sept. 1896: Leonis XIII P. M. Acta, XVI, p. 283: « Ipsa est de qua natus est Iesus, vera scilicet eius Mater, ob eamque causam digna et peraccepta ad *Mediatorem Mediatricem* »;

Id., Litt. Apost. *Parta humano generi*, 8 sept. 1901: Leonis XIII P. M. Acta, XXI, pp. 159-160: « Sic potentissima Virgo, Mater, quae olim cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra »;

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr. 1904: Pii X P. M. Acta, I, pp. 153-154: « Ex hac autem Mariam inter et Christum communionem dolorum ac voluntatis, *promeruit illa ut reparatrix perditum orbis dignissime fieret*, atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit (...) Pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communionem, hoc Virgini augustae datum est, ut sit *totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix* »;

BENEDICTUS XV, Litt. Apost. *Inter sodalicia*, 22 mart. 1918: AAS 10 (1918) p. 182: « Quas e Redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur »;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus*, 8 maii 1928: AAS 20 (1928) p. 178: « Cuius Nos confisi apud Christum deprecatione, qui unus cum sit « Mediator Dei et hominum », suam sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem »;

PIUS XII, Epist. ad Em.mum Card. Al. Maglione, *Superiore anno*,

15 apr. 1940: AAS 32 (1940) p. 145: « Quandoquidem autem, ut divus Bernardus asseverat, " sic est voluntas eius [Dei], qui totum nos habere voluit per Mariam ", ad Mariam confugiant omnes, ad eius sacratissimam aram preces, lacrimas, dolores afferant, ab eademque lenimenta ac solacia petant. Quod semper maiores nostri, ut historia loquitur, in trepidis rebus dubiisque temporibus, uberi cum fructu, facere sollemne habuere, id et nos in praesentissimo periculo, quo angimur, fidentes eorum vestigia ingressi, peragere ne desistamus. Tanta enim Beata Virgo apud Deum pollet gratia, tanta apud Unigenam suum potentia fruitur, ut quisquis, egens opis, non ad eam recurrat, nullo is alarum remigio, ut Aligherius concinit, volare conetur. Ea siquidem potentissima Dei Parens est, et, quod dulcissime sapit, nostra itidem amantissima Mater... ».

Beatissima Virgo aliquoties dicitur Mediatrix ad Mediatorem Christum, alias ad Deum. In Constitutione utraque formula adhibita est. Dicitur etiam quod intercedit per Christum, idque iuxta declarationem Concilii Tridentini de intercessione sanctorum: in sessione XXV, Decr. *De purgatorio*, dictum est: « Bonum atque utile esse, suppliciter eos [sanctos] invocare et ob beneficia impetranda a Deo *per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum*, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes opem auxiliumque confugere »: DENZ. 984.

Patres itaque aiunt « *ob beneficia per Christum impetranda* ». Unde, beata Virgo cum aliis sanctis est intercedens mediate, per Christum scilicet: inde intelligitur quare Ecclesia omnes orationes suas claudat hoc modo: *Per Dominum nostrum Iesum Christum...*

¹⁸ Cf. Rom. 1, 10; Eph. 1, 15; Phil. 1, 3-4; Col. 1, 3 et 9; 1 Th. 1, 2-3; 2 Tim. 1, 1.

¹⁹ Cf. Rom. 15, 30; 2 Cor. 1, 11; Eph. 6, 18-19; 1 Th. 5, 25; 2 Th. 3, 1; Hebr. 13, 18.

²⁰ LEO XIII, Litt. Encycl. *Fidentem piumque*: Acta Leonis XIII, XVI, p. 282: « Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit... At vero, *si nihil prohibet*, ut docet Angelicus, *aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter*, cuiusmodi sunt angeli sanctique caelites, prophetae et utriusque testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel umquam contulerit, vel aliquando sit collaturus... ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona*, 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) pp. 581-582: « Immerito igitur acatholici et novatores non pauci hac etiam de causa nostram reprehendunt atque improbant erga Deiparam Virginem pietatem, quasi nos aliquid ex cultu uni Deo ac Iesu Christo debito subducamus; cum contra, quidquid honoris venerationisque caelesti Matri nostrae tribuimus, id procul dubio in Divini eius Filii decus redundet, non modo quod ex ipso omnes gratiae omniaque dona, vel excelsa, ut e primo fonte oriuntur, sed etiam quod " gloria filiorum patres eorum " ».

PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui Sodalitatis internatio-*

nalis "Filiorum Mariae Immaculatae", Romae habito, 17 iul. 1954: AAS 46 (1954) p. 492: « C'est pour devenir la Mère de Dieu qu'elle a reçu de son divin Fils tous les dons de la nature et de la grâce. Voilà pourquoi le culte de la Vierge, si du moins on le comprend bien, loin de rien ôter à la gloire de Dieu, remonte immédiatement à Lui, l'Auteur de tout bien, qui l'a voulue si grande et si pure ».

²¹ Dum non est difficultas admittendi Mariam esse mediatricem omnium gratiarum quatenus associata fuit Christo in illis acquirendis (utique abstractione facta a quaestione an *immediate* vel *mediate*, *directe* vel *indirecte*, in *actu primo active* recipiendo vel alio modo...), variae quaestiones surgunt si gressum faciamus ad Mediatricem quatenus *distribuit* gratias, idque potissimum quoad earum *universalitatem*. Quod Maria potest nobis omnes gratias impetrare, clarum est. Quod autem *nulla gratia datur nisi interveniat* Maria, alia est res: venit enim quaestio de intervento *directo* et *indirecto*, de Veteri Testamento et de gratiis quae conferuntur in Sacramentis. Itaque in omnibus istis aliisque quaestionibus permittenda est libertas scholis catholicis disputandi, asserendo modo valde generali quod in omnibus gratiis quae conferuntur *adest materna caritas* Mariae, saltem iuxta illud S. Augustini initio allegatum « *cooperata est caritate*, ut fideles in Ecclesia nascerentur », et ut iugiter nascantur. In Litt. Encycl. *Octobri mense* (ASS 24, p. 195 s.) LEO XIII adhibet formulam « ... nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri... ». In Subcommissione haud defuerunt qui voluissent hanc formulam in Const. adhibere. Sane, haec formula *exclusiva* fundamentum habet in documentis pontificiis et doctrina theologorum. At, magis placuit formulam genericam expressam ab ipso LEONE XIII, in Litt. Apost. *Parta humano*, et supra allatam (cf. etiam ASS 34, p. 195) adhibere: « ... Virgo Mater quae *olim cooperata est caritate* ut fideles in Ecclesia nascerentur, sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra ».

²² Ita erronee cogitant haud pauci protestantes: cf. e. gr. MAURY P., *Le protestantisme et la Vierge Marie*, Paris, 1950, p. 65. Videsis BALIC C., O. F. M., *La mariologia es punto de convergencia o de divergencia para la unión?* in: *Ante el II Concilio Ecuménico Vaticano*, Burgos 1960, pp. 232-250; Id., *Maria e il movimento ecumenico*, in: BOYER C., *Il problema ecumenico oggi*, Brescia 1961, pp. 547-562.

²³ PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854: DENZ. 1691.

²⁴ CONC. TRIDENT., Sess. VI, Decr. *de iustificatione*: DENZ. 833; S. AUGUSTINUS, *De natura et gratia*, c. 36, n. 42: PL 44, 267: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: (unde enim scimus quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum?): hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Iucunda semper*, 8 sept. 1894: Acta Leonis XIII, XIV, 310: « Eam salutamus, quae *gratiam apud Deum invenit*,

singulariter ab illo *plenam gratia*, cuius copia ad universos proflueret ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam*, 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 636: « Iam in primo temporis momento, quo concepta fuit, tali gratiarum abundantia repletam fuisse, ut Sanctorum omnium gratiam superaret ».

²⁵ Cf. DENZ. 6, 13, 20, 111A, 144, 148, 214, 218, 256, 290, 429.

²⁶ *Sacramentarium Gregorianum* [quod Hadrianus I misit Carolo Magno inter annum 784-790] in die Assumptionis sequentem habet orationem: « Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum ». Cf. C. BALIC, O. F. M., *Testimonia de assumptione beatae Virginis Mariae ex omnibus saeculis*, pars I, Romae 1948, p. 155.

Beatissimam Virginem mortem subiisse temporalem et ad similitudinem Filii sui resurrexisse, antiquissima et communissima est Ecclesiae doctrina. Plus quam tertia pars petitionum quae ad Sanctam Sedem delatae sunt ut definiatur Assumptio, definitionem quoque mortis Deiparae expostulant; dimidia vero pars talium petitionum intimam relationem ponunt inter mortem et Assumptionem. At, hisce ultimis annis incoepit divulgari sententia B. Virginem *abiisse* et non *obiisse*. Quae sententia nitebatur potissimum quadam relatione privata ex qua deducebatur ipsum Vicarium Christi [PIUM XII] haud tenere traditionalem Ecclesiae doctrinam hac in re. En quid dicendum circa mentem Romanorum Pontificum hisce ultimis decenniis hac in re:

PIUS XI et IOANNES XXIII docent B. Virginem mortuam esse; idem saltem implicite docuit ipsemet PIUS XII. Et re quidem vera:

PIUS XI, *Allocuzione nella lettura del Decreto de Tuto per la canonizzazione della Beata Thoret* [trad. it. *L'Oss. Rom.*, 16 aug. 1933, p. 1]: « Con l'assiduità nella preghiera si deve fare di Maria la quotidiana mediatrice, la nostra vera avvocata, sicchè possiamo sperare che Ella, assunta nella gloria del Cielo, nell'ora del nostro trapasso, che fu pure il suo — *poichè Ella pure fece questo passo, essendo in Lei non la grazia di creazione, ma la grazia di Redenzione, la quale non conferiva immortalità vera e propria* — possa Ella essere nostra avvocata presso la divina bontà e misericordia »;

IOANNES XXIII, Litt. Apost. in *L'Oss. Rom.*, 1 oct. 1961, p. 2: « L'immagine soave di Maria si irradia e si accende nella suprema esaltazione. Che bella scena la dormizione di Maria, così come i cristiani di Oriente la contemplano: Essa è distesa nel sonno placido della morte e Gesù è accanto a Lei, e tiene presso il suo petto come un bambino l'anima della Vergine, ad indicare il prodigio della immediata risurrezione e glorificazione », ... « Il mistero dell'Assunta ci mantiene familiari al pensiero della nostra morte... »;

Card. A. OTTAVIANI, in: *Acta Pontificiae Academiae Marianae Internationalis*, I, Romae 1961, p. 63 [cf. *L'Oss. Rom.*, 18 dec. 1961, p. 7]: « Non bisogna però confondere il magistero autentico con le voci incontrollate o le fantasie per le quali si attribuisce a questo o a quel Sommo Pontefice un'idea o un'espressione non controllabile. Si è sparsa, per esem-

pio, la voce che il compianto Pontefice Pio XII avrebbe espresso le sue preferenze per la sentenza di coloro che ritengono che l'Assunzione della Vergine non sia stata una risurrezione anticipata, ma una traslazione nei cieli senza la morte su questa terra: "abiit, et non obiit". Per quanto mi consta, il compianto Pontefice non era di questa idea: è vero, anzi, il contrario. Questa sentenza del resto toglierebbe qualche cosa a quella cooperazione, per la quale la Vergine è detta *Alma Socia Redemptoris*. Come poteva Ella non subire, anche se non dovuta, la morte, se la volle subire il suo divin Figliuolo? Invece è così bello vedere in tutte le fasi del ciclo redentivo il parallelo degli eventi che congiunsero la Madre al Figlio divino! A questo accennava Pio XII nella *Munificentissimus Deus*, quando asseriva: " ... parique modo haud difficile iisdem [ossia ai fedeli] fuit, assentiri Magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenitum suum, ex hac vita decessisse " ».

Traditio antiquissima et constans qua nititur Orientis et Occidentis christiani doctrina de morte B. V. Mariae non est « mere historica », sed etiam, immo potissimum, « theologica »; illa nempe traditio quae « per se ipsam » dedit Pio XII certissimum argumentum pro veritate Assumptionis dogmaticae definienda. Et si valor huius Traditionis in casu mortis B. Virginis ad nihilum reduceretur, tunc, ut iure meritoque scribit P. COLASIO J., O. P., *Due pubblicazioni su Dionigi Areopagita*, in: *Rivista di ascetica e mistica*, 5 (1960) p. 202: « Per coerenza, vorremmo che questi teologi applicassero questo medesimo criterio a tanti altri casi del genere... ed allora si accorgerebbero che dobbiamo riformare o certe parti della dottrina comune o il loro non giusto criterio sull'argomento di tradizione ».

²⁷ In traditione christiana variae rationes allatae sunt ad illustrandum factum mortis B. V. Mariae [cf. BALIC C., *Testimonia de assumptione Beatae Virginis Mariae ex omnibus saeculis*, II, Romae 1950, « Index analyticus », pp. 496-499].

« ... non fuit decens — scribit S. BONAVENTURA, *In III Sent.*, d. III, a. 2, q. 3, ad 3 [ed. Quaracchi, t. III, p. 78 b] — Filium Dei habere matrem immortalem, cum ipse esset mortalis ».

Alii vero dicunt quod mortua est ne Christo maior forte videretur... [cf. BALIC, *op. cit.*]: « decuit enim eam in hoc esse suo Filio similem » [BALIC, *Ibid.*, II, p. 239]; « quidquid autem fuit in Christo ut puro homine, etiamtribuendum est beatae Virgini, quae etiam sponte posuit animam et assumpsit poenaltates, ne Christo maior esse videretur et cooperaretur ad nostram redemptionem » [*Ibid.*, II, pp. 94-95]. Marcelinus SIURI [m. 1734], post Frances de URRUTYGOITI [m. 1682], refert quemdam auctorem hispanum, immortalitatem Deiparae propugnantem, a sacro Inquisitionis tribunali damnatum fuisse: Universa Ecclesia enim tenet Mariam mortem subiisse temporalem etiam « ut Filio conformaretur; congruum enim erat ut sicut Iesus morti se subiecit in redemptionem humani generis, ita et quod Mater electa in redemptionis cooperatricem similiter morti subiaceret ». Et Cl. A. subiungit: « Quam rationem conformitatis cum Filio tanti faciendam a Matre existimo quod si ei optio daretur, potius eligeret mori ut Filio conformaretur, quam sine morte ad gloriam transferri, et tanti fieri a Filio matrem crediderim quod si in alio

ordine rerum voluisset sine propria morte genus humanum redimere Matrem quoque a morte immunem fecisset » [*Ibid.*, II, pp. 240-241].

Per se patet factum mortis B. Virginis non propter solas has similesque rationes, sed *potissimum* propter constantem et communissimum consensum Ecclesiae docentis et discentis, ut factum certum *admitti*.

²⁸ PIUS XII, Const. dogm. *Munificentissimus Deus*, 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 770.

²⁹ PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano*, 24 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 679: « Beata Dei Genitrix, quippe quae ipsa quoque ab Adamo descendat, nullum habet privilegium nullamque gratiam quam non debeat Filio suo, generis humani Redemptori; atque adeo, Matris excelsa dona mirantes ac rite celebrantes, ipsius Filii divinitatem, bonitatem, amorem, potentiam miramur et celebramus, neque umquam Filio displicebit, quidquid in laudem Matris, ab ipso tot gratiis cumulatae, fecerimus ».

³⁰ PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854: Acta Pii IX, pars I, vol. I, p. 598: « Venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita dare disposuit ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit ».

³¹ In professione oblata a Nicephoro, Patriarcha Constantinopolitano, et accepta a Leone III, claris verbis integritas corporalis B. Virginis in partu affirmatur: « Virginem quoque, quae *supernaturaliter et ineffabiliter pepererat*, post partum virginem conservavit, virginitatem illius secundum naturam nulla ex parte demutata aut labefactata » [DENZ. 314, n. 3]. In Epistola S. LEONIS, quam Patres Concilii Oecumenici IV susceperunt clamantes Petrum per Leonem locutum esse, legitur: « Nova autem nativitate generatus: quia INVIOLATA VIRGINITAS concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit... Quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis » [DENZ. 144].

In CONC. LATERANENSI, sub Martino I habito [quod licet non sit oecumenicum sensu tecnico, tamen mentem Ecclesiae, tam latinae quam graecae manifestat], expresse condemnatur anathemate qui virginitatem in partu nollet confiteri: « Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semper Virginem et immaculatam Mariam utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Padre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et INCORRUPTIBILITER eam [eum?] genuisse, indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit » [DENZ. 256].

S. AMBROSIUS, *De institutione Virginis et S. Mariae virginitate perpetua*, c. 8: PL 16, 334: « Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex virgine... ».

Idem etiam docent S. AUGUSTINUS, *Epist. 137 ad Volusianum*, c. 2,

n. 8: PL 33, 519; S. HIERONYMUS, *Epist.* 48, 21: PL 22, 510, alique plures SS. Patres. Quae quidem Traditionis christianae testimonia sic paucis verbis exprimit PETAVIUS, *De Incarnatione*, lib. 14, c. 6 [*Opera omnia*, VII, Parisiis, 1876, p. 76]: « Illud tamen ex Patrum omnium decreto pro certo tenendum est, quod catholica universa profitetur Ecclesia, beatissimam Virginem, hoc quidquid sit, quo a maritatis discerni virgines possunt, illibatam in partu integrumque retinuisse ».

Et communiter docetur hanc doctrinam esse tenendam fide divina et catholica. At, nonnulli moderni auctores putant virginitatem B. Virginis in partu haud consistere in aliqua incorruptibilitate, et virginitatem in partu dicunt univocam esse cum virginitate ante partum. Cf. MITTERRER A., *Dogma und Biologie der heiligen Familie*, Wien 1952, pp. 122-124; GALOT J., S. I., *La virginité de Marie et la naissance de Jésus*, in *Nouvelle Revue Théologique*, 92 (1960), pp. 449-470.

³² *Praefatio de Beata Maria Virgine.*

³³ S. GERMANUS CONSTANTINOPOLITANUS, *In Sanctae Dei Genitricis dormitionem, Sermo 1*: PG 98, 346-347: « Neque fieri poterat, ut quae Dei capax vasculum esses, emortuum corpus corrumpente difflueres pulvere » [347]; « Tu iuxta quod scriptum est, speciosa es, tuumque illud corpus virginale, totum sanctum est, totum castum, totum Dei domicilium; ut ideo quoque a resolutione in pulverem deinceps sit liberum... » [346]. « Quia enim is, qui in te fuerat exinanitus, Deus erat a principio, ac vita saeculis antiquior; utique *par quoque* erat ut Vitae Mater, Vitae pariter contubernalis fieret; dormitionemque somni instar susciperet; ac migrationem haud secus atque expergefactionem, ceu Vitae Parens, subiret... » [347].

S. IOANNES DAMASCENUS, *Homilia 2 in dormitione B. V. M.*, n. 14: PG 96, 741 [BALIC C., O. F. M., *Testimonia de assumptione B. V. Mariae ex omnibus saeculis*, pars prior: Ex aetate ante Concilium Tridentinum, Romae 1948, p. 89]: « Necessè enim fuit divinum illud domicilium... penetralibus terrae minime concludi, sed sicut sanctum illud incorruptumque corpus ex ipsa [assumptum et] cum Deo Verbo hypostatice coniunctum tertia die e monumento surrexit, sic etiam ipsam e sepulchro eripi, Matremque ad Filium transmigrare... Necessè fuit eam quae Deum Verbum uteri sui hospitio exceperat in tabernacula Filii sui deferri... Necessè fuit eius quae in partu virginitatem sine labe servaverat incorruptum etiam post mortem corpus servari. Necessè fuit eam quae Creatorem ut infantem sinu gestaverat in divinis degere tabernaculis. Necessè fuit Sponsam quam Pater sibi desponsaverat, caelestibus immorare thalamis. Necessè fuit eam quae Filium suum in cruce conspiciens, gladium quem pariendo effugerat, pectore tunc exceperat, Ipsum Patri considerentem spectare oculis. Necessè fuit Dei Matrem ea quae Filii essent possidere, et ut Matrem Dei et ancillam coli ab omni creatura ».

Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus*, 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) pp. 758 ss., ubi afferuntur argumenta Patrum et theologorum, inter quos liceat afferre S. BELLARMINUM qui ait [p. 766]: « Et quis, obsecro, credere posset, arcam sanctitatis, domicilium Verbi, templum Spiritus Sancti corruiſſe? Exhorret plane animus meus vel cogitare car-

nem illam virgineam, quae Deum genuit, peperit, aluit, gestavit, vel in cinerem esse conversam, vel in escam vermibus traditam ».

Et S. FRANCISCUS SALESIUS adiungit [*Ibid.*]: « Quinam filius, si posset, matrem suam ad vitam non revocaret, atque eam post mortem in Paradisum non adduceret? ». Utique, concludit S. ALPHONSUS [*Ibid.*]: « Iesus Mariae corpus post mortem corrumpi noluit, cum in suum dedecus redundaret virgineam eius carnem in tabem redigi, ex qua suam ipsemet carnem assumpserat ».

³⁴ PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854: Acta Pii IX, pars I, vol. I, pp. 597-598: « Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam innocentiae ac sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam*, 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 635: « Nullum igitur dubium est Mariam Sanctissimam dignitate sua omnes res creatas excellere itemque super omnes post Filium suum obtinere primatum ».

Cf. S. BONAVENTURA, *In III Sent.*, d. 9, a. 1, q. 3, in sol. [ed. Quaracchi III, 206 a]: « Quoniam [Maria] excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor *duliae*, sed *hyperduliae*... Ex hoc enim quod Mater Dei est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorari et venerari ».

³⁵ PIUS VII, Breve *Quod divino*, 24 ian. 1806 [*Documentos marianos*, n. 235]: « Quod divino afflata spiritu beatissima ac gloriosa Dei Genetrix Virgo Maria de se ipsa praenuntiavit generationes omnes beatam illam nuncupaturas, id sane non modo prioribus Ecclesiae saeculis impletum novimus, cum toto terrarum orbe ad eius honorem templa aedificata fuerint, atque arae erectae, verum etiam aucta quotidie magis fidelium pietate erga amantissimam Parentem nostram, ac gratiarum omnium dispensatricem, maiori semper devotionis ardore, alia aliis successerint monumenta pietatis et quaedam praesertim loca inscrutabili Dei consilio, constituta sint, in quibus peculiari beatae Virginis intercessione quaedam mira veniunt, quae in aliis aequae contigisse novimus ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona*, 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) p. 582: « ... inde ab antiquissima Ecclesiae aetate, hoc doctrinae caput [scilicet doctrina de cultu B. V. Mariae] cotidie magis inclaruit, ac cotidie latius viguit cum apud sacros Pastores, tum in mente animoque christianae plebis ».

Cf. Decreta CONC. NICAENI II et CONC. TRID. de sacris imaginibus sive Christi sive « intemeratae dominae nostrae sanctae Dei genitricis », sive sanctorum in genere: « honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant... » [DENZ. 302, 986].

³⁶ BENEDICTUS XIV, Bulla aurea *Gloriosae Dominae*, 27 sept. 1748 [*Documentos Marianos*, n. 210]: « Gloriosae Dominae, Dei Genitricis Mariae cultum ac venerationem, Dei manifesta voluntate ac veraci semper

Ecclesiae spiritu, magnopere commendari, nec minus iuste quam fructuose eidem a fidelibus exhiberi, adeo manifestum esse non dubitamus, ut ad christianorum corda religioso devotionis studio erga eam inflammanda apostolicae adhortationes Nostrae superfluae propemodum fore videantur. Sicut enim omnipotens Deus hanc virginem electam ex millibus, et ad ineffabilem divinae maternitatis dignitatem Angelo nuntiante evectam, gratiae suae donis abundantius prae ceteris omnibus puris creaturis replevit, ac splendidissimis gloriae coronis super alia omnia manuum suarum opera decoravit; sic etiam Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eandem, et tamquam Domini ac Redemptoris sui Parentem caelitus ac terrae Reginam impensissimis obsequiis colere, et tamquam amantissimam Matrem, extrema, Sponsi sui morientis voce sibi relictam, filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Augustissimae Virginis Mariae*, 12 sept. 1897: Acta Leonis XIII, XVII, p. 285: « Augustissimae Virginis Mariae foveri assidue cultum et contentiore quotidie studio promoveri quisque perspiciet, qui secum reputaverit, quam excelso dignitatis et gloriae fastigio Deus ipsam collocavit ».

PIUS XII, *Nuntius Radioph. Christifidelibus datus ob conventum marialem e tota Argentina in urbe Luján coadunatum*: AAS 39 (1947) p. 628: « El culto a la Madre de Dios, por Ella misma profetizado cuando anunció: “ Beatam me dicent omnes generationes ”, es un *elemento fundamental* en la vida cristiana... Honremosla, pues, reconociendo el brillo sin par de su hermosura, los primores de su bondad y lo irresistible de su poder; por la excelsitud de sus virtudes y por la dignidad incomparable de su misión, reverenciémosla proclamando su grandeza, manifestándole nuestro respeto y pidiéndole su intercesión; finalmente, imitémosla sin cejar en tan noble empeño... ».

PIUS XII, Epist. Apost. *Ex hoc*, 25 mart. 1950: AAS 42 (1950) p. 717: « “ Ex hoc, ut ait Sanctus Bonaventura, quod Virgo Maria effecta est Dei Mater, est effecta Mater omnium creaturarum ”; idcirco, tantae Parenti dicata, plurima per orbem surgunt Tempa, e quibus praecipua ac maiore Christifidelium concursu commendata, e Romanorum Pontificum instituto potiore dignitate solent decorari ».

IOANNES XXIII, *La presenza dell'insegnamento di Cristo e del patrocinio di Maria nel cuore di ogni fedele*: *L'Oss. Rom.*, 18 aug. 1960: « Accanto a Gesù la Madre sua Maria. All'indomani della celebrazione della celebrità dell'Assunta, il sentimento filiale si rivolge con fiducia ed affetto verso tanta Madre, per la quale i cattolici nutrono la più alta e sentita devozione. Qualcuno, già in passato, ha voluto criticare questo sentimento, quasi si trattasse di un'adorazione, che è dovuta a Dio solo. È chiaro invece che i cattolici venerano la Madre di Gesù con tutto il loro entusiasmo, ben sapendo che, a causa delle sue prerogative, del suo insigne privilegio d'essere la Madre del Figlio di Dio fatto Uomo, dei doni dal Signore ricevuti e della sua potenza d'intercessione, Ella è la creatura che sulla terra più si avvicina a Dio... Noi dunque portiamo sempre Gesù nel cuore: fonte di forza, di consolazione, di ogni conforto. Del pari abbiamo con noi sempre l'immagine di Maria: e tanta Madre aiuta

ogni suo figlio nei vari momenti della esistenza; sorregge a raggiungere bene la meta che a ciascuno è assegnata quaggiù di conoscere, cioè amare, servire il Signore; di praticare le virtù della carità e della pazienza, segnatamente durante le prove che la vita ci offre, sempre continuando nella sicurezza dei beni eterni. Così, questo l'augurio del Padre comune delle anime, Gesù e Maria ci salvino e ci benedicano sempre! ».

³⁷ PIUS XII, *Nuntius Radioph. Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano* Romae habito: AAS 46 (1954) p. 679: « Ita etiam haec disciplina [mariologica] recta illa media via procedere poterit, qua et ab omni falsa et immodica veritatis superlacione caveat et ab illis se seget, qui vano quodam agitantur timore, ne Beatissimae Virgini plus aequo concedant aut, ut non raro dicitant, Matre honorata et pie invocata, ipsi Divino Redemptori aliquid honoris et fiduciae detrahant ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam*, 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 637: « In his tamen aliisque quaestionibus ad Beatam Virginem spectantibus, curent theologi ac divini verbi praecones ut quasdam et recto itinere aberrationes devitent, ne in duplicis generis errores inducantur; caveant nempe et sententias fundamento carentes ac veritatem quadam verborum superlacione excedentes, et nimiam mentis angustiam in singulari illa, omnino excelsa, immo fere divina Deiparae dignitate consideranda, quam quidem Doctor Angelicus eidem agnoscendam esse docet “ ex bono infinito quod est Deus ” ».

³⁸ S. PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr. 1904: Acta Pii X, pp. 155-156: « Nullus equidem honor Mariae optabilior, nullus iucundior quam ut noscamus rite et amemus Iesum. Sint igitur fidelium celebritates in templis, sint festi apparatus, sint laetitiae civium; quae res omnes non mediocres usus afferunt ad pietatem fovendam. Verumtamen nisi his voluntas animi accedat, formas habebimus, quae speciem tantum offerant religionis. Has Virgo quum videat, iusta reprehensione Christi verbis in nos utetur: “ Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me ”. Nam ea demum est germana adversus Deiparentem religio, quae profluat animo... Quapropter hoc quisque persuasum habeat: si pietas, quam in Virginem beatissimam quis profitetur, non eum a peccato retinet, vel pravos emendandi mores consilium non indit, fucatam esse pietatem ac fallacem, utpote quae proprio nativoque careat fructu... Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimae nullam praeterire laudem quin imitentur; illas tamen Eiusdem virtutes ipsos fideles assequi prae ceteris desideramus, quae principes sunt ac veluti nervi atque artus christianae sapientiae: fidem inquit, spem et caritatem in Deum atque homines... ».

PIUS XII, *Allocutio pro canonizatione Beati Ludovici de Montfort*, 21 iul. 1947: AAS 39 (1947) p. 413: « La vraie dévotion, celle de la tradition, celle de l'Eglise, celle, dirions-Nous, du bon sens chrétien et catholique, tend essentiellement vers l'union à Jésus, sous la conduite de Marie ».

IOANNES XXIII, *Epist. ad Card. Mimmi*, 2 oct. 1960: AAS 52 (1960) p. 498: « Qui autem pia Deiparae Virginis tutela confidunt, et cum ipsa volunt claros referre triumphos, probe necesse est, ipsius decorentur virtutibus et maternis dotibus utpote filii sinceræ indolis emineant. Nam

ita hortatur illa suos, ut currant in odorem unguentorum suorum [Cant. 1, 3]: "Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei... In me omnis spes vitae et virtutis" ».

Cf. S. AMBROSIUS, *De virginibus*, lib. II, c. 2, n. 15: PL 16, 210 B: «Talis enim fuit Maria, ut eius unius vita, omnium sit disciplina».

S. BONAVENTURA, *Sermo I De Purificatione* [Opera IX, 638 A]: «Verum est quod Virgo gloriosa perfectissime habuit omnes virtutes...».

³⁹ S. AUGUSTINUS, *De sancta virginitate*, c. 3: PL 40, 398.

⁴⁰ PETRUS MOGHILA in sua Confessione scribit: «De beatissima Virgine quae cum tantum mysterium digna facta sit persolvere, omnes orthodoxi ipsam honore debito ac reverentia prosequi tenentur» [cf. GORDILLO M., *Mariologia Orientalis*, Romae 1954, p. 259].

Aethiopes confitentur «testante Sacra Scriptura Deiparam honorandam esse» [*Ibid.*, p. 261]. Certissimum est quod cultus Beatissimae Virginis in Oriente christiano longe superat cultum aliorum Sanctorum, etsi non adhibetur terminus «hyperdulia».

⁴¹ LEO XIII, Litt. Encycl. *Fidentem piumque*, 20 sept. 1896: Acta Leonis XIII, XVI, p. 287.

LEO XIII misit Congressui Mariano Liburnensi poema:

«Virgine favente, fiat unum ovile!
Auspicium felix! Orientis personat oras;
Vox lapsa e caelo, personat occiduas:
Una fides Christi, Pastor regat unus ovile,
Dispersas gentes colligat unus amor.
Virgo, fave: errantes, ah! lumine mater amico
Respice, et Unigenae iunge benigna tuo».

[Cf. *Documentos Marianos*, n. 423].

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Dei*, 12 nov. 1923: AAS 15 (1923) p. 581: «Alterum unitatis reconciliandae vinculum cum Orientalibus Slavis in eorum singulari studio erga magnam Dei Matrem Virginem ac pietate continetur, eos ab haereticis compluribus seiungens, nobisque efficiens propiores».

⁴² PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*, 28 febr. 1926: AAS 18 (1926) p. 83: «Communibus autem benigne adrideat foveatque coeptis sanctissima Regina Apostolorum Maria, quae, cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter».

Cf. LAURENTIN R., *Lettre sur le problème de la maternité de Marie à l'égard des infidèles*, in: *L'Union Missionnaire du Clergé de France*, 13, n. 4 (oct. 1953), pp. 148-155.

⁴³ LEO XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi*, 5 sept. 1895: Leonis XIII P. M. Acta, XV, pp. 302 ss.;

BEA A., S. I., «Erant perseverantes... cum Maria Matre Iesu... in communicatione fractionis panis» (*Acti* 1, 14; 2, 42), in: *Alma Socia Christi*, VI, fasc. I: «De B. V. Maria et SS. Eucharistia», Romae 1952, pp. 36-37: «quegli anni erano anzitutto per la nascente Chiesa una prima

e preziosa esperienza quasi tangibile di quella materna cura e sollecitudine della mediatrice e madre, che poi, nel corso dei secoli, si doveva manifestare sempre più luminosamente e si manifesterà sino alla fine dei tempi ».

Cf. *L'Ausiliatrice nel domma e nel culto*, relazioni presentate al Congresso Mariologico Internazionale del 1950, Torino 1950; *L'Immacolata Ausiliatrice*, relazioni commemorative dell'anno mariano 1954, Torino 1955.

⁴⁴ PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854: Acta Pii IX, pars I, vol. I, p. 617: « Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo... velit validissimo suo patrocinio, efficere, ut... omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac iustitiae semitam redeant, ac fiant unum ovile et unus pastor ».

PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus*, 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 769: « Futurum enim sperandum est ut christifideles omnes ad impensioem erga caelestem Matrem pietatem excitentur; utque eorum omnium animi, qui christiano gloriantur nomine, ad desiderium moveantur Mystici Iesu Christi Corporis participandae unitatis... ».

⁴⁵ LEO XIII, Litt. Encycl. *Fidentem piumque*, 20 sept. 1896: Acta Leonis XIII, XVI, p. 287: « Ut igitur ad eam, tamquam ad unitatis faultricem et custodem eximiam, recte se Ecclesia exoriens precando adiunxit, id similiter his temporibus per orbem catholicum fieri peropportunum est; ... caleat ubique huiusmodi precis studium, ad propositum in primis sanctae unitatis. Neque aliud quidquam Mariae gratius acceptiusque fuerit, utpote quae Christo maxime coniuncta, maximopere id cupiat et velit ut qui uno eodemque donati sunt eius baptisinate, una omnes eademque fide perfectaue caritate cum ipso et inter se cohaereant ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona*, 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) pp. 590-591: « Ac praeterea eos etiam, qui ob vetus schisma a Nobis seiuncti sunt, et quos ceteroquin paterno adamamus animo, ad has effundendas concordantes preces supplicationesque advocamus, quandoquidem probe novimus eosdem almam Iesu Christi Genetricem venerari quam maxime eiusque intaminatum celebrare conceptum. Cernat eadem beata Virgo Maria eos universos, qui se christianos esse gloriantur, caritatis saltem vinculis coniunctos, suppliciter oculos, animos, precesque ad ipsam convertere, lucem illam impetrantes, quae mentes superno lumine collustret, atque illam efflagitantes unitatem, qua tandem aliquando fiat unum ovile et unus Pastor ».

⁴⁶ MANSI, *Conciliorum amplissima collectio*, IV, 1287-1288.

Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Lux veritatis*, 25 dec. 1931: AAS 23 (1931) p. 515: « Redeant ad communem Patrem, cuius sententiam omnes Ephesinae Synodi Patres observantissime exceperunt, quemque concordia plausu « custodem fidei » consalutarunt; ad Nos redeant omnes qui paternum omnino in eos gerimus animum, quique libenter amantissima illa verba facimus Nostra, quibus Cyrillus Nestorium enixe adhortatus est ut « Ecclesiarum pax conservetur, dilectionisque et concordiae vinculum inter Dei sacerdotes indissolubile permaneat ». Et remittit ad MANSI IV, 891, ubi verba Cyrilli prostant.

Nuncupatio Vicarii Christi tamquam « custodis fidei » et sermo de *acclamatione Coelestini* prostat apud MANSI, IV, 1287 [cf. 1288]; cf. etiam SCHWARZ, A.C.O., t. I, vol. I, P. III, p. 57, l. 25: « Omnes reverendissimi episcopi *simul acclamaverunt*: Hoc iustum iudicium. Novo Paulo Coelestino, novo Paulo Cyrillo, *Coelestino custodi fidei*, Coelestino cum Synodo concordi, *Coelestino universa synodus gratias agit*. Unus *Coelestinus, unus Cyrillus, una fides orbis terrarum* ».